

- 8 Itaque egressus est rex Sedom, & rex Gomora, & rex Adama, & rex Zoboim, & rex Bela, quae iam est Zoar, & instruxerunt contra aciem in valle Siddim.
- 9 Contra Cedor-lahomer regem Elam, & Thideal regem gentium, & Amraphel regem Sinear, Arioch regem Ellasar, quatuor reges aduersus quinque.
- 10 Porro vallis Siddim plena erat puteis bituminis. Fugerunt autem rex Sedom & Gomora, & ceciderunt ibi: reliqui vero in montem fugerunt.
- 11 Ceperuntque vniuersam substantiam Sedom & Gomora, & omnem commeatum eorum, ac discesserunt.
- 12 Ceperunt etiam Lot, & facultates eius, filium fratris Abram, & discesserunt. Ipse enim habitabat in Sedom.

Hebr. erat
putei putei.

EXPLANATIO.

- I. **F**VIT AVTEM TEMPORIBVS AMRAPHEL. Hoc primum bellum legitur in historiis mundi. Nec profanae habent tam antiquum, nedum antiquius vllum. Vnde historiae sacrae praefana antiquitas liquet: Licet vero inter profanos fuerit gestum: tamen quia etiam sancti Patriarchae, Abram & Lot eo fuerunt implicati & praecclare se in eo ostendit Dei praesentia in defendendis suis: non sine causa in sacra historia commemoratur: ac generalem continet doctrinam: cum bellum hoc non modo à profanis regibus sit gestum, sed etiam à fideli Abramo propulsatum. **B**ello legitima qua.
- PRIMO**, Bella quidem ex libidine dominandi primum orta esse: per se vero non esse illicita, modo iustis de causis suscipiantur, & legitime gerantur. Iustae autem causae sunt, cum vel gloria Dei & salus Ecclesiae ac reipublicae contra tyrannos aut hostes sacros armata vi nos inuadentes est defendenda: vel iniuriae atroces armata manu sunt vindicandae. Legitime autem geruntur, cum à legitimo magistratu, autoritate publica suscipiuntur, secundum leges & honestatem administrantur, & ad pacem ac tranquillitatem Ecclesiae & Reipublicae restituendam vel defendendam diriguntur. Profani scriptores tres causas belli iuste gerendi numerant. 1. Ad repellendam vim & se suaque tuendum. 2. ad res ablatas repetendas. 3. ad vlciscendas illatas iniurias. Vide Ciceronem
- A** libr. 1. offic. Secundo docet etiam piis iniusta & necessaria defensione sui & suorum arma tractare licere. Iuxta circumstantias vero historiae textum breuiter perstringemus: quo tempore: à quibus, contra quos: vbi: qua causa: & quo euentu hoc bellum gestum fuerit.
- TEMPVS** historiae huius innuitur obscurius ver. 1. Fuit in diebus Amraphel: Quis hic rex fuerit, & quando vixerit dubium est, Hebraei volunt esse ipsum Nimrod, qui regnum Babel construxit in terra Sinear, vt supra cap. 10, ver. 10. Sed diuersitas nominis arguit fuisse alium. Cur enim non potius Nimrodum appellaret Moses, vt prius, quam Amraphel? Et Chronologia non congruit. Ab aedificatione enim turris Babel, cuius author fuit Nimrod, vsque ad hoc bellum annos amplius 300. abiisse crediderim. Ex aetate vero Abrami χρονολογίαν huius belli colligere licet. Abram post bellum cōfectum (innuente textu & Iosepho) noua promissione à Deo confirmatus, eodem anno vel certe proximo duxit Agar: vt patet c. 15. & 16. Id vero fuit in fine decennii post egressum ex Haran, capit. 16. 3. cum esset annorum 85. Ergo 84. anno circiter aetatis Abrami haec gesta videntur: mundi anno 2092.
- Mouentes** hoc bellum sunt reges quatuor: Amraphel rex Sinear, id est, Chaldaeae, vel Assyriae. Onkelos vocat regem Babylonis, qui tanquam potentior aliis ante-

Bellorum iustorum gerendorum causa.

I.

II.